

## De credulitate

Domus nostra in Anglia camino ornata est, et saepe in horto lignum securi scidi quod vespere in camino incendere solebamus. Cum illa securis satis esset parva, Davidem rogavi ut mihi securim magni ponderis donaret quam ambobus manibus supra caput tollere et summa vi truncum ferire oporteret. Die natalis Christi ridens David mihi donum suum dedit: securim minimam quam ad usum feminarum destinata esse affirmavit. Ore aperto illam securim aspexi et incredule rogavi num profecto me tam tenuem esse iudicaret ut securi virorum uti non possem? Quod genus truncorum me illa securi scindere posse mente fingeret?

Cachinnum tollens David non statim respondere potuit. Laetitia lacrimans et caput quatens denique suspiravit: *"Sara credula candida! Revera securim feminarum exstare credidisti? Illa securis ad ramos tenues quibus igne inflammatur scindendos usurpatur; aliam securim ad truncos magnos findendos post ianuam invenies."* Erubescens me fortasse nimis credulentem facile ira captam esse assensa sum. Ponderis alterius securis mirans statim in hortum profecta sum ubi magna copia truncorum me exspectabat.

Illo camino in atrio domus nostrae summopere fructi sumus. Vespere igne accenso saepe in atrio otium sequabamur; cum denique somno capti cubitum iremus, ignem relinquere solebamus ut nullo ligno nutritus aliquot post horas sua sponte exstingueretur.

Aliquando cum in horto lignum scinderem Davidem magna voce clamantem audivi. Statim in atrium cucurri quo David pallidus digito illum locum designavit quo antea caminus positus erat: nunc in eo loco cavum in solo patebat. Quid acciderat? Etsi pararius illud caminum ad usum aptum esse affirmavisset, nunc caminum tantum ornamenti causa constructum esse patuit. Maior pars eius camini ligno confecta ignibus paululum corrupta denique corrui. Nausea capta periculum maximum concepi cui domus nostra oblata erat: solo ligneo et loculamentis librorum facile incensis ignis celeriter in domo diffundi potuisset. Utinam ne credule illo parario fidem habuissemus qui nos eo camino sine ullo periculo uti posse affirmavisset!